



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 535. Quænam sit pœnitentia frangentium sigillum Sacramentale, & quæ ad subeundam illam reguirantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

62. a. f. Bobadil. in polie. l. 2. c. 17. n. 81. Barb. in c. 2. h. t. n. 2. ut & ipsi, si occidant Clericum, privati possint privilegio & cingulo militari, tam per Judicem sæcularem, coram quo & conveniri possint uti & ad militem creatum à Rege vel Imperatore, item ad Doctorem, qui privari possit propterea insignibus doctoralibus, Tertio: Ut privetur facultate contrahendi matrimonium, ita ut vitam solitariam ducat, & sine sobole decedat. Abb. l. c. Covar. de Sponsal. p. 2. c. 6. n. 5. Vivald. in candelab. p. 1. de mat. n. 5. Sanch. de mat. l. 7. d. 6. num. 9. ubi: quòd requiratur, ut reus de occisione Sacerdotis sit convictus, Vide Barb. l. c. n. 4. non tamen dirimitur contractum, ut Gl. in cir. c. presbyterum, v. sine spe conjugii. Præter quas pœnas posse Judicem laicum uti & ecclesiasticum in foro suo contra occisorem Sacerdotis procedere ad pœnas graviores, notant Pirh. h. t. & alii.

Quæst. 534. Quæ pœnitentia indicenda illi, qui defendendo suam libertatem vel ecclesiam occidit alium, dum excessit modum?

R Esp. Imponi debere illi pœnitentiam arbitrariam, & mitem seu tolerabilem & humanæ imbecillitati accommodatam, asserit Barb. ad c. significavit. h. t. n. 1. citatis Alagone in compend. juris can. pag. 744. Vivian. in rational. l. 5. Jur. Pontif. pag. 251. Jo-And. Host. Abb. Anchar. & alii additæ etiam ratione, ne ipsi aut alii retardentur, verum, quia loquitur non de pœnitentia publica seu extrasacramentali, sed de Sacramentali & privata, quam Sacramenti pœnitentiæ partem integram diximus, eâ relicta, ad pœnitentias publicas ratione fractionis sigilli confessionis pergimus. Unde fit

Quæst. 535. Quænam sit pœnitentia frangentium sigillum Sacramentale, & quæ ad subeundam illam requirantur?

1. R Esp. ad primum: Antiquo jure præter perpetuam ab ordine Sacerdotali depositionem stabili mansione privari, & perpetuò ignominiosè circumire debebant, juxta can. Sacerdotes dist. 6. de pœnit. ubi: qui hoc fecerit (nimirum sigillum violaverit) deponatur & omnibus diebus vita sua ignominiosus peregrinando pergat. quæ tamen pœna seu pœnitentia, utpote vergens in opprobrium ordinis Clericalis & Spirituale damnium peregrinantis ob circumvagationem continuam mutata postmodum in perpetuam detractionem manente pœna depositionis. c. omnis utriusque §. caveat. h. t. & ibi Barb. n. 28. citatis pluribus aliis, quæ ipsa pœna denuo abiit in delictudinem & mutata in perpetuos carceres, ita ut ad eam requiratur sententia derogatoria, ut de Lugo de pœnit. d. 23. n. 147. Fagund. in præcept. Eccles. l. 6. c. 7. n. 2. Reiffenstul. h. t.

2. R Esp. ad secundum: Ut tamen hæc damnatio ad carceres perpetuos infligatur, requiritur primò: ut revelans sit Sacerdos nempe ipse confessarius, Arg. c. Sacerdos & c. omnis utriusque. ita ut ei non subiaceant adstantes, qui peccata confitentis audientes ea revelant aliis, vel eorum notitiam & Schedulas confessionis scriptas habent & produnt, vel qui ea à confessario iniquè revelanda audiverunt. Secundò: ut revelet peccatum mortale vel veniale verum in specie vel in genere dicat: Tertiò confessum esse peccatum mortale; Snar. de pœnit. d. 33. f. 8. Dian. tr. 11. p. 5. resol. 51. ita ut, licet aliàs

sub sigillum naturale cadentia, v. g. defectus natalium, vel quid probrosum, aut præjudiciosum pœnitenti revelantes peccent graviter, sint pœnâ arbitrariâ graviore Judicis quàm violantes secretum naturale puniendi, non tamen pœnâ ordinariâ violentium sigillum Sacramentale subiaceant. Reiffenst. n. 6. cum cit. AA. Tertio: Ut peccatum reveletur præsumptuosè, id est, malitiosè graviter, Arg. cit. c. omnis utriusque §. caveat, ita ut licet confessarius ex ignorantia, inadvertentia, ebrietate revelans aliquid in confessione auditum aliquâ pœnâ extraordinariâ puniri valeat, non tamen pœnâ ordinariâ violentium sigillum confessionis, nisi in foro externo stare contra ipsulum præsumptio, quòd cum sufficiente advertentia, adeoque præsumptuosè & malitiosè propalasset, uti id fieret, nisi ex circumstantiis probaret contrarium. Quarto: ut confessarius non ipsi pœnitenti sine ipsius venia objiciat, sed cuiquam alteri revelet, cum revelare propriè non dicatur, nisi qui commissum sibi alteri, cui id ignotum prodit, qualis non est ipse pœnitens.

Quæst. 536. Quis sit Judex in causa violati sigilli, qualiter procedere debeat, & qualiter probandum hoc crimen in ordine ad pœnitentiam publicam pro eo infligendam?

1. R Esp. primò: Solus ecclesiasticus, & quidem Episcopus Ordinarius rei est Judex in causa violati sigilli Sacramentalis, ut cum communi de Lugo l. c. n. 148. Gobath. Quynar. tr. 5. n. 200. eò quòd causa hæc ratione annexi Sacramenti sit naturâ suâ Spirituales & ecclesiastica, unde si Principes & Judices sæculares huic crimini quandoque pœnas ordinariâs graviores inflixerunt, uti teste Aldrete l. 2. Eccles. discipl. c. 19. n. 2. apud Reiffenst. h. t. n. 10. fecit Jacob. Rex Arragon., dum in Concilio Gerundeni Episcopo violatori hujus sigilli linguam à tergo extrahi jussit, id factum vel ex delegatione apostolica, vel procedendo contra Sacerdotes priùs degradatos, & curiæ sæculari traditos.

2. R Esp. ad secundum: Ad hoc ut Judex Ecclesiasticus instituere possit processum contra violatorem sigilli, non requiritur, ut is ad hoc petat & obtineat licentiam à pœnitente, cujus peccata sacrilegè revelata fuerunt, ut probabilius contra Gobath sentire videtur Seoz. in tribunal. pœnit. l. 2. q. 4. à n. 288. quem securus est Reiffenst. h. t. n. 11. Arg. c. Sacerdos, dist. 6. de pœnis, & c. omnis utriusque h. t. dum ibi nullâ prorsus mentione factâ de habenda licentia pœnitentis præcipitur, ut pœnæ ibidem præscriptæ inferantur violentibus sigillum, & ob eam rationem, tum quòd ex hoc processu nullum emergat præjudicium pœnitenti, utpote qui exinde nec inquiri nec puniri potest, dum hæc notitia peccati illius revelata habeat se, ac si non esset, tum quòd nulla per hoc irrogetur Sacramento irreverentia, sed potiùs eviteretur, dum fideles, videntes tam severè contra violatores sigilli procedi, animantur potiùs ad peccata confitenda quàm ab hoc absterrentur.

3. R Esp. ad tertium: Quod spectat ad probationem hujus criminis, si quis viâ inquisitionis, aut denunciationis, vel accusationis de violatione sigilli interrogatus fateatur se esse reum alia probatione opus non est. Arg. L. generaliter C. de numerat. pecun. c. fin. de cohabit. Cler. & mulier. cum propria confessio sit optima probatio, si verò dicat, se notitiam peccati non habere ex confessione, sed tanquam aliunde sibi notum manifestasse, incumbit ei pro-